

**Programma Rectoris Academici, Johannis Quistorpii, D. Theol. Facult. Senioris.
... Quo ad eundum Exequias. B. Annae Harmens/ Relicta viduae Honoratissimae,
B. Nicolai Schmidt/ Civis primarii olim & praefecti Templi Mariani insignis,
Academiae Cives invitat : die XXVII. Octobr. Anno M.DC.LXIX.**

Rostochii: Kilius, 1669

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777516861>

Druck Freier  Zugang



Qvistorp, J.,
in **A. Harmens,**
uxor. N. Schmidt.

Rostock, 1669.

27.

PROGRAMMA

Rectoris Academici,

JOHANNIS
QVISTORPII, D.

ⒸEOA Facult. SENIORIS. & Past. Dom.



Quo
ad eundem
EXEQUIAS.

B. ANNÆ

Harmens/

Relicta vidua Honoratissima,

B. NICOLAI Schmidt/

Civis primarii olim & præfecti

Templi Mariani insignis,

Academiae Cives invitat.

die XXVII. Octobr. Anno M.DC.LXIX.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.

AUGUSTINUS.

Mala mors putanda non est , quam
bona vita præcessit ; neque enim facit ma-
lam mortem , nisi quod sequitur ipsam
mortem.

RECTOR ACAD.
D. IOH. QVISTORPIUS
ΘΕΟΛ. Fac. SENIOR, & Past. Dom.

Non indignum memora-
tu viderur, quod de condien-
dis Ægyptiorum funeribus re-
fert Herod. lib. 2. his verbis:
*Ante omnia in curvo ferro cere-
brum per nares educunt, ut quam-
que partem educentes, ita locum
ejus medicamento explentes. De-
hinc acutissimo lapide Æthiopico circa ilia conscindunt, atq;
illac omnem alvum protrahunt: quam ubi repurgarunt,
ac vino phæniceo expleverunt, rursus odoribus contusis re-
ferciunt: tum omenta complentes, contusa myrrhâ purâ &
casia, & cæteris (excepto thure) odoribus iterum consu-
unt.* Huc usque Herod. Tot autem tantiq; sumptuosi
apparatus, commendari an potius vituperari merean-
tur ambiguum videtur mihi. Sed mirum non est Eth-
nicos, qui summum bonum sæpe in corporalibus vo-
luptatibus consistere crediderunt, etiam post mor-
tem molliori cultu corpora sua demortua ornâsse; ut
ut enim beneficio rationis eò pertingere valuissent,
(quod inde perspicuum est, quod non pauci illorum
eò pertigerint) ut animæ immortalitatem certam
& in

& indubitata[m] comprehendissent, detinuit tamen plurimos in cæcitate affectata malitia, ut more brutorum ea saltim curarent, quæ facere illis videbantur ad cultum corporis, flocci pendentes interim cælesti illud donum, quo nos præ reliquis animantibus cunctis exornavit summum Numen. Quemadmodum enim ferro cerebrum de mortuorum extrahebant, & alieno condimento replebant, ita vivi vi quasi ferreâ optimum rationis usum exuebant & quod perversum eorundem sensum demulceret recipiebant, & ut in vita ita quoque in mortem neglectâ animæ, ibi culturâ hinc commendatione, solius corporis rationem habebant, quod ne gratis dicere videar, audiamus porro Herod. l. c. ita pergentem: *Ubi hæc ferèce, salivunt intrò abditum septuaginta dies; nam divitiis salire non licet. Exactis septuaginta diebus, cada ver ubi abluerunt Syndone byssina totum in scissis loris involvunt gummi illinentes: quo Egyptii glutinis loco plerumque utuntur. Eo deinde recepto propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in qua mox inserunt mortuum, inclusuntq; ita thesaurizant.* En perversam mentem! quid enim hoc aliud est, quàm sepultâ animâ, corporis immortalitatem quærere? Sed quicquid moliantur, vani tamen sunt conatus eorum, quid juvat cadaver reterram foetoris pretiosissimis quibusq; odoribus refarcire & tabescentem carnem & cutem cada vero sanæ conditæ quid prodest? nimis exiguum spatium est quo

quo se diffundit hic odor, nimium quoque imbecillis
qui à corruptione corpora præservet; Quapropter,
quanto coelum distat a terra, tanto distant ab his,
qui modicam corporis tum vivi tum demortui cu-
ram habentes, animi potissimum culturâ delectan-
tur, animadvertunt namque illi, animum virtutibus
conditum, odorem spargere non in circumstantis tan-
tum spacium, sed in omnes mundi plagas, eumque o-
mni odore corporeo longè suaviorem, quo etiam
non homines tantum sed ipse quoque Deus affici co-
gnoscitur; sumus enim bonus odor Christo, quando
cor nostrum eidem in altare thymiamatis, fragrantia
amoris, patientiæ, spei & cæterarum virtutum
Christianarum per fidem spargens, consecramus.
Tali cultu, tali fragrantia ad thronum Agni accedere
gestit nobilissima & pientissima Matrona ANNA
Harmens/ quæ sicut urbem hanc gratissimo odore
vitæ honestissimæ pientissimæ que replevit, ita jam
cum viginti quatuor illis Senioribus Apoc. V. phialas
aureas plenas suffituum in conspectu Agni offert. Cæ-
terum cum ipsa beatissima Matrona curriculum vitæ
suz optime cognitum habeat, audiamus quæ se ipsam
de hoc referentem: *Anno M. DC. IV. d. XXVIII.*
Septembr. Ego, inquit, ANNA Harmens/ Honestis &
Christianis Parentibus nata in hanc lucem prodii, Pater
meus dilectus fuit B. HINRICUS Harmens/ Crois, &
Mer cat or hujus loci, dilecta Mater fuit B. ANNA Holte
dörps/ Avus Paternus erat B. HINRICUS Harmens/

131. d.

itid. civis hujus loci. Avia paterina erat B. Dorothea Winckelmans. Avus Maternus extitit B. MATTHIAS Holtorp / Avia B. ANNA Sagers; Beatus Parens meus inquit porro lectissima hæc foemina, prematurâ morte abreptus mihi est, cum circiter duodecimam attigissem septimanam. Post decem annos dilecta quoque Mater mea à latere meo per mortem sejuncta fuit, ut adeo maturè orba sim relicta. At Deus interim mirabili providentia curam mei gessit, & in locum Parentum priorum novercos dedit, qui ad quasvis Christianas virtutes me assueverunt, non secus ac proprii Parentes; B. Novercus fuit JACOB Alward / Senior, olim Senator hujus civitatis, B. Noverca ANNA Roterings / utriq; Christiani probeque homines, pro quibus Deo meo sæpius gratias egi. Cùm tandem, inquit, ad adultiorem pervenissem etatem Divinâ providentiâ ex consensu B. meorum Parentum Anno M. DC. XXV. d. IX. Aug. conjugale fœdus inii cum B. FRANCISCO Rump / olim civis & Mercatore hic loci, cumq; Eo octodecim annos tranquillam egi vitam, donec ille anno M. DC. XL. per mortem mihi surreptus. Biennium in viduitate consumpsi, usq; dum per iteratam Dei Providentiâ, ad secundas processu nuptias cùm B. Claus Schmidt / Civis & Mercatore hujus loci bene merito & Provisore ad templum Div. Mariae. Cum hoc B. meo marito magna in dilectione & gaudio in sextum tantummodò annum vixi. Anno igitur, M. DC. LXVII. devno viduam me fecit Deus, quicquid enim in hoc mundo bonum est, perenne non est; Itaq; me Deus maturè orbâ & secundâ vice vidua-

re

re marito voluit. Haec tenus defuncta. Quis non animadvertit ex sola hac relatione probitatem tantæ Matronæ; sed audiamus porro vitam ejus triplicem, Ecclesiasticam, civilem, & domesticam: *Istam* pleno ore non ipsius tantum Confessionarius Vir plur. Rev. Dn. JOACH. LINDEMANNUS, sed & alii civitatis nostræ Pastores commendant; & utinam spatium esset quod caperet commendationem quam Hæc meruit in vita Ecclesiastica. Audiamus brevibus de ea differentem Virum pl. Rev. Dn. SLUTOVIUM, Ecclesiasten ad Div. Nicolai, vigilantissimum, *nullam*, inquit, *occasionem quantum fieri potuit, dilectionem & quævis honoris officia proximo demonstrandi neglexit, multiplicem crucem, corporis imbecillitatem, & quæcumq; alia adversa, semper patienti tranquilloq; spiritu à Deo recepit, perq; patientiã vicit. Summa, eò laboravit, ut placatum in cælis Deum, & tranquillam in terra conscientiam sibi servaret;* *Illam* (vitam civilem) unanimi consensu probant quicumq; eam norunt; *Hanc* (domesticam) ita ornavit, ut digna sit quæ reliquis exemplar sistatur; liberos enim & Nepotes non verbis saltem, sed vivis variarum virtutum imaginibus ad honestam & Christianam vitam excitavit, in educatione liberorum plane conformavit se monito Apostolico Eph. VI, 4. Educavit autem, ut paucis dicam WENDULAM foeminam Ornatissimam Senatoris, Civ. spectatissimi Dn. JOH. Danckwart's uxorem. CATHARINAM & ANNAM utraq; nobilissimas foeminas, *Illam* Nobilissimi olim nunc B. Dn. D. CONRADI SCHUMANNI, JCræ amplissimi, hanc,

hanc, conjugem Nobilissimi quoq; Viri B. Dn. D. CHRIS-
TIANI KLEINII Prof. Juris, olim uxorem, nunc autē
proh dolor! relictam viduam, & Dn. NICOLAUM
civem hujus urbis florentissimum Per hos odorem
suum satis late diffudit. Cum autem tempus demi-
grationis instaret, morbus corpus invasit, quem suo co-
lore depinxit. Vir Excell. Dn. D. JOH. BACMEISTE-
RUS, Medicin. Prof. Publ. his verbis: *Honestissima Ma-
trona, vidua Schmidiana per annum ferè calculo (corbuto, in-
deq; proveniente Urinae obstructione summa virium debilita-
te cum appetitūs distractione laboravit, Et quamvis interdū
adhibitis generosioribus remediis melius sese habere videret
tamen aliquoties recidivam passa est, quæ cum peior ipso mor-
bo esse solet etiam tandem spretis omnibus etiam exquisitis si-
mis medicamentis, ipsi finem vitæ, eben! impoluit.*

Cæterum probatissimum medicamentum ipsa pientissima Ma-
trona quæsit in sacratissimo Cœnæ Dom. Sacramento, quo e-
tiā ex manu Confessionarii sui, Viri Adm. Rev. Dn. Joachimi Lin-
demanni, Arch. Div. M. percepto, piè & placidè defūcta est d. XXII.
Octobr. Anni M. DC. LXIX. mæstamq; in luctu reliquit totam
Familiam. Deus O. M. horum lachrymas abstergat, ipsique ab-
stergant recordatione cælestis gaudii, quod nunc eam habet.
Vos autem cujuscunque Ordinis Academicos, qui pie-
tate & virtute delectamini, eā qua par est humanitate inviro,
ut rarum hoc virtutis exemplar & verè Matronarum totius
urbis decus, comitatu vestro ad sepulchrum cohonestare

non dedignemini, convenietur hodiè circa pri-
mam in templo Mariano,

P. P. Rostochii sub Sigillo Rectorali d. XXVII.

Octobr. Anno M. DC. LXIX.



re marito voluit. Haec tenus defuncta
vertit ex sola hac relatione probita
na; sed audiamus porro vitam ejus tri
cam, civilem, & domesticam: Iam
tantum Confessionarius Vir plur. Re
DEMANNUS, sed & alii civitatis ne
mendant; & utinam spatium esset q
mendationem quam Haec meruit in
Audiamus brevibus de ea differen
Dn. SLUTOVIUM, Ecclesiasten ad
lantissimum, nullam, inquit, occasione
tuit, dilectionem & quavis honoris off
strandi neglexit, multiplicem crucem, cor
& quacumq; alia adversa, semper patien
tu à Deo recepit, perq; patientiam vicit. Sui
placatum in caelis Deum, & tranquillam
sibi servaret; Illam (vitam civilem)
probant quicumq; eam nōrunt; Haec
ornavit, ut digna sit quae reliquis ex
ros enim & Nepotes non verbis salt
rum virtutum imaginibus ad honest
vitam excitavit, in educatione libe
formavit se monito Apostolico Eph
tem, ut paucis dicam WENDULAM
tissimam Senatoris, Civ. spectatissim
warts/uxorem. CATHARINAM &
nobilissimas foeminas, Illam Nobilit
Dn. D. CONRADI SCHÜCMANNI

animad-
& Matro-
eclesiasti-
non ipsius
CH. LIN-
res com-
et com-
essastica.
n pl. Rev.
olai, vigi-
n fieri po-
o demon-
ilitatem,
loq; spiri-
oravit, ut
onscientia
onsensu
icam) ita
tur; libe-
vis varia-
stianam
me con-
cavit au-
Orna-
Dand-
l utrasq;
hunc B.
plissim
hanc

